

& supra, & in Ordinibus quoque minoribus, si stipendiis Ecclesiasticis sustententur, coram Saeculari Judice Advocati in negotiis saecularibus fieri non praesumant: Nisi propriam causam, vel Ecclesiae suae fuerint profecti, aut promiserabibus forte personis, quae proprias causas administrare non possunt.

Hinc concluditur, Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, aut beneficium Ecclesiasticum, e quo sustententur, habentes, non posse coram Judice Saeculari munus advocacionis exercere.

LIV. Excipit Pontifex in citata Decretali tres causas in quibus postulare Clericis permittitur, nimirum, si propriam causam, vel Ecclesiae suae fuerint profecti, aut pro miserabilibus personis, quae proprias causas administrare non possunt. Haec exceptiones verisimiliter invaluerunt, postquam Clerici non tantum Sacris Canonibus, sed & legibus Civilibus incumbere coeperunt, quos acerbo itylo exagitat Petrus Blesensis relatus supra parte 1. tit. 2. cap. 4.

Interim & his casibus advocacionis officium a Clericis tum ea moderatione est exercendum, ut non impingant in eam Apostolicam sententiam: nemo militans Deo se implicat negotiis saecularibus.

LIV. Cum Decretalis nominatim loquatur de exercitio advocacionis coram Judice Saeculari; concludunt communiter Canonistae sequuti Glossam, nequaquam vetitum esse Clericis, agere Advocatum coram Judice Ecclesiastico, sive in Curia Ecclesiastica.

Verum quia hodie causae aguntur stylo forensi in Curia hinc non secus ac in foro Saeculari, parum videtur vocationi Clericali conforme, causas & in hinc Curia instruere, aut dirigere, & ea occasione disceptationibus forensibus implicari. Hinc & plerumque etiam in Curia Ecclesiastica Advocati sunt laici; & saepe iidem qui coram Judice Saeculari id munus obeunt.

LVI. Quia tamen pium est, pauperes oppressos juvare, eorumque Patronos agere ne defectu defensionis a potentioribus opprimantur, statuit S. Carolus, ut in sua Diocesi esset semper aliquis Advocatus pauperum. Quin & in Cathedrali & Collegiatis nonnullis Ecclesiis, auctoritate Apostolica instituit praebendam Canonistalem, cujus possessor Advocatum pauperum coram Judicibus Ecclesiasticis agere debebat. Vide Acta Ecclesiae Mediolanensis pag. 567. edit. Lugdunensis anni 1683. ubi & inter alia statuit, quod quicumque Ecclesiastici homines Mediolani commorantes Juris periti sunt, eorum unus semper per vices, quemadmodum jam a nobis cum illis actum est, unoquoque trimestri in orbem officio Advocati pauperum fungatur.

CAPUT III.

De Procuratoribus & Syndicis.

- 1 De Jure communi duo sunt genera Procuratorum; hodie soli Procuratores ad lites hoc nomine appellari solent.
2 Aliquando apud Romanos vetitum fuit causas agere in judicio per Procuratores.
3 Hoc jus multis saeculis viguit in Gallia.
4 Ex hoc jure Gallicano petendus intellectus Cap. 7. De Procuratoribus.
5 Saeculo 15. declaratum fuit in Gallia, licitum esse in causis Civilibus agere per Procuratores.
6 Haec declaratio conformis est praxi omnium passim tribunalium.
7 Ordinationes Curiae Rethorales Universitatis Lovaniensis vetant citationes personales.
8 In criminalibus admittitur citatio personalis; & quis ejus effectus.
9 Procuratores ad lites quando in Curia Ecclesiastica intraverint.
10 Officium Procuratorum jure Romanorum est privatum; secus hodie, nec ad illud infames admittuntur.
11 Hodie numerus Procuratorum solet esse determinatus; nec admittunt nisi praevio examine.
12 Moribus hodiernis causas agi debent per probatum Procuratorem Curiae.
13 Etiam inviti ad officium suscipiendum cogi possunt.

- 14 Excusandus a suscipienda causa si juret se credere causam esse injustam.
15 Procurator non potest servare causam quam novit injustam.
16 Eiusmodi causam non suscipere juramento promittunt.
17 Difficilius suo juramento satisfaciunt Procuratores; qui causas omnes passim sine examine suscipiunt.
18 Ordinationes Curiae Rethorales volunt ut Procurator ante causam susceptionem de casu debite instruitus.
19 Quae ab Advocatis hac in parte observanda sunt, etiam merito a Procuratoribus attenduntur.
20 Procuratores aequae Advocati suis Clientibus fideliter servare debent; & quid cum in finem habeant Ordinationes Curiae Brabantiae?
21 Procuratores non possunt protrahere lites in dispendium partium; neque eum in finem superfluas dilationes petere.
22 Contra abusus Procuratorum multum valeret exacta observantia Ordinationum Curiarum.
23 Procurator licet a Curia admittitur debet habere mandatum ad causam prosequendam.
24 An admittatur sine sufficienti mandato sub cautione de rato?
25 Cautio de rato tantum videtur admittenda quando aliquoties constat de mandato; nisi in certis personis.
26 Quomodo Procuratorum hodie probetur.
27 An Procuratorum post litem contestatam provocari possit? Et an morte constituentes expret?
28 Hodie Procuratoribus debentur sua salaria; & qui hinc abusus.
29 Alibi Universitatis, Collegii, Civitatis &c. sunt quasi eorum Procuratores.
30 Hi vocantur Syndici; interdum Pensionarii.
31 Syndicus non tantum ad lites, sed & ad negotia extrajudicialia constituitur.
32 Universitas Lovaniensis habet suum Syndicum; & quod ejus juramentum & officium.
33 In Decretalis Gregorii IX. extat unica Decretalis De Syndico desumpta ex epistola S. Gregorii.
34 Sanctus Gregorius sollicitus fuit, ut negotia Monachorum ita tractentur, ne eorum mens per plura distenta deficiat.
35 Consultus ut negotia alium Laico committant aliquo constituto salario.
36 Ratio notanda a S. Gregorio allata.
37 Ex hac Decretali concludunt Canonistae, a Monachis esse constituendum Syndicum ad lites prosequendas.
38 Quam periculosum sit Monachis implicari negotiis forensibus.
39 Convenit etiam, ut Clerici se a forensibus rixis examant.

I. De Jure duae sunt Procuratorum species. Prima eorum qui ad negotia familiaria & extrajudicialia committuntur; nec hodie solent vocari Procuratores; sed communiter dicuntur Receptores, Administratores, Oeconomi, aut etiam mandatarii, si sint ad negotia aliqua specialia deputati.

Alia species Procuratorum est, qui sunt ad lites & causas in judicio prosequendas; solentque vulgo simpliciter Procuratores appellari; atque de his solis hic agitur.

II. Vetustissimo Jure Romanorum, hujusmodi Procuratores lites prosequendae causae constituere permixtum non fuisse, notant passim Interpretes, ac nominatim Bugnonius De Legibus abrog. lib. 2. c. 58. & Christianus ibidem in notis.

III. Notant quoque, conformiter ad hoc vetustissimum jus, diu in Gallia moris fuisse, ut sine gratia & rescripto Regio, Actori per Procuratorem agere non liceret, quod praeter alia docet nos Marcellus Monachus lib. 1. Form. c. 21. & ibidem observavit vir eruditus Hieronymus Bignonius; additque: Illud longo post tempore apud nos (Gallos) obtinuisse, ut praeter Regem nulli Procuratoris habendi absque Principis consensu facultas suppeteret, testatur Joannes Faber ad §. UNIVERSITATIS Infr. De Rerum divis. & Brolius in itylo Parlamenti.

IV. Ex hoc prisco Gallico jure petenda apparet vera ratio, quae movit Universitatem Parisiensem petendi ab Innocentio III. ut ad agendum & defendendum de ejus permissione Procuratorem instituire liceret: respondit autem Innocentius: Licet de jure communi hoc facere valeatis, instituendi tamen procuratoris super his auctoritate praesentium vobis concedimus facultatem. Extat responsum in Cap. 7. De Procurat.

Cum enim Universitas Parisiensis tota penderet ab auctoritate Romani Pontificis, licentiam, quam alii a Rege impetra-

impetrare debebant, ipsa a Romano Pontifice petere ma- luit. Vide Janum A Costa & Hieronymum Bugnonium locis citatis.

V. Meminit ejusdem moris Francisci Damhouderus in Praxi rerum civil. cap. 84. asseritque eum abrogatum in Comitibus Turingae anno 1483. ubi tunc ordinatum & decretum fuit (ait) quod omnes Actores in materiis civilibus, possint occupare & comparare per Procuratores absque gratia Regis ad hoc impetranda.

VI. Haec moderatio conformis est hodiernis moribus; quibus receptum est, ut in omnibus passim tribunalibus tana Civilibus quam Ecclesiasticis sine ulla speciali licentia permittatur per Procuratorem agere & se defendere; idque in omnibus causis saltem civilibus.

VII. Conformiter ad hunc usum in Ordinationibus Curiarum Rectoris & conservatoris privilegiorum hujus Universitatis Lovaniensis confirmatis auctoritate Principum Belgii Alberti & Isabella die 18. Aprilis 1617. art. 11. ordinatur: Omittatit deinceps in citatoribus litteris, quod pars debeat comparere personaliter, ad respondendum certo die, & hora; quia id per Procuratorem facere potest.

VIII. In criminalibus tamen citari solent rei ad respondendum personaliter; & dicitur citatio personalis, vulgo Daeghesel personeel; atque ita citati constituti dicuntur in reatu; reddunturque infames, ac solent ab officio publico, quo funguntur, suspendi quousque se a crimine intentio purgaverint, & absoluti sint. Vide Van Leeuwen in Censura forensi parte 2. lib. 2. cap. 5. num. 10.

IX. Nec tantum in Curia Civilibus, sed & Ecclesiasticis usus Procuratorum invaluit idque verisimiliter una cum stylo forensi; id est, circa saeculum 12. aut 13. unde de hujusmodi Procuratoribus ad lites nulla Decretalis aut Decreta quae aetiam hanc praecedant, in libris Juris Canonici occurrunt. Quod enim in Cap. 1. De Procuratoribus refertur ex S. Gregorio, spectat dumtaxat ad Procuratores seu mandatarios ad negotia agenda specialiter commissos; non autem ad Procuratores ex officio suo ad prosequendas lites & causas constitutos & electos, quales sunt hodierni Procuratores ad lites.

X. Si Jus commune attendamus, officium Procuratorum est privatum & vile; omnesque passim personae indifferenter in Procuratores designari possunt. At moribus hodiernis publicum est; nec ad illud infames admittuntur, licet Justinianus exceptionem infamiae contra Procuratorem noluerit habere locum §. Infr. De Except. uti notat Gudelinus L. De Jure Noviss. lib. 4. cap. 4. num. 26. Vide etiam Christianum vol. 2. Decis. 107. num. 2.

XI. Quin & in Curia tam Ecclesiasticis quam Civilibus vulgo usitatum est, non nisi certas & determinato numero personas ad hoc officium assumi; & praevio super qualitate & capacitate earum examine. Statuta Curiarum Ecclesiasticarum Provinciae Mechlin. tit. 8. art. 2. Nullus Procuratoris officio fungi permittetur, nisi qui 25. aetatis annorum excesserit, & per Officialem super litteratura, industria, stylo & practica examinatus, & idoneus repertus, in manibus ejusdem juramentum praestiterit.

Similiter Ordinationes Curiae Brabantiae art. 322. nullum volunt admitti ad Officium Procuratoris; nisi praevio ex commissione Cancellarii fuerit examinatus & idoneus repertus; admittunt tamen minorem 25. annis, modo excesserit 20.

XII. Morem hunc de certis designatisque dumtaxat personis, idque praevio examine, & praestito juramento admittendis in Procuratores, ubique communem esse, videre est apud Van Leeuwen loco citato; & testatur Nicolaus Tuldenus ad allegatum locum Damhouderi, quod hodie privati, neque per se, nec per Procuratores causam suam agere in foro vel judicio possint, nisi selectis quibusdam forensibus Procuratoribus negotium mandent.

XIII. Quamdiu Officium Procuratorum fuit privatum, nemo illud invitatus suscipere tenebatur; at hodie dum publicum est, hi qui praevio examine & juramento in

numerum eorum relati sunt, etiam inviti cogi possunt, ut officium suum impendant; uti post alios observat Nicolaus Tuldenus ad Damhouderum in Praxi rer. Civil. cap. 84. Litt. E.

XIV. Ex justis tamen causis ab Officio impendendo in hac illave causa excusari possunt; dicitque Damhouderus ibidem n. 2. quod ab eo onere suscipiendo sese purgare possint, & illud onus detrectare, si jurent quod teste conscientia, ipsorum (clientium) causa non videatur ipsis defensionibus.

XV. Nec immerito: licet enim hodiernis moribus receptum sit, non transferri Judicium in Procuratorem; neque ipsum per lites contestationem reddi dominum causae; aut in ipsum sententiam ferri, quemadmodum Jure Civili obtinebat, uti passim morient Pragmatici, ac nominatim Simon a Groenveegen de Legibus abrogatis ad tit. Digestorum De Procuratoribus; nihilominus verum manet, Procuratores hodiernos suscipere defensionem & prosecutionem causae; quam sane impendere nequaquam possunt causae quam credunt injustam.

XVI. Imo & juramentum in admissione ad Officium Procuratoris solet ipsos attingere; quod nullam causam, quam noverint injustam, suscipient; aut si aliquam tamquam justam susceperint, dimittent mox ut eam noverint injustam. Verba juramenti praestari soliti in Curia Ecclesiasticae Provinciae Mechliniensis sunt: Nec acceptabo Officium Procuratoris in malis & injustis causis scienter; & quam cito mihi constituerit de injustitia causae; in ea amplius non procurabo.

XVII. Procuratores illi, qui omnes indifferenter causas sibi oblatas sine ullo examine super earum Justitia aut injustitia suscipiunt, ostendunt parum memores se esse praestiti Juramenti; parumque sollicitos; num Justitiam, injustamve causam tueantur; meritoque anxii sunt, an cum hujusmodi affectata ignorantia immunes erunt a perjurio; saltem coram eo qui scrutatur cor & renes, si causam injustam suscipiant, quam si examen debitum praemisissent nec lucri cupiditate ad omnes indifferenter causas suscipiendas fuissent illecti, facile agnovissent esse injustam.

XVIII. In citatis Ordinationibus Curiae Rectoris & Conservatoris hujus Universitatis art. 12. statuitur: Procurator non occupet causam aliquam sive ad agendum, sive ad defendendum, nisi prius satis instructus.

XIX. Quae capite praecedenti dicta & notata fuerunt circa obligationem Advocatorum de non patrocinando causae injustae hic merito repeti poterunt: cum tam Procuratoribus, quam Advocatis vi Juramenti & officii vetitum sit, causae injustae quacumque ratione patrocinium impendere.

XX. Non minus quoque Procuratores, quam Advocati obligantur fideliter suis Clientibus servare: unde & hic repeti poterunt quae de fidelitate Clienti ab Advocato servanda dicta sunt capite superiori. Hoc tamen hic observandum, quod Curia Brabantiae cautum volens, ne ex connexione & familiaritate Procuratorum, secreta unius Partis alteri revelarentur, statuit art. 324. ne pater & filius, aut duo fratres, vel duo habitantes in eadem domo sint simul in eadem causa Procuratores pro utraque parte. Om dies vville dat de Procureurs onderlinghe gheallieert zynde van bloede oft affiniteyt, gelyck vader ende sone, rovee ghebreurs, oft woonende in een huys, ontfanghen in een saecke de procuratie van beyden partjen, vvaer nyt die secreten van partjen ghesupplanteert oft bedrogghen: Wy verbieden den voorz. Procureurs also gheallieert zynde, oft woonende in een huys, te nemen procuratie oft te occuperen in een saecke vor beyde de partjen. Id est: Eo quod Procuratores mutuo, aut sanguine aut affinitate conjuncti quales Pater & filius, aut etiam fratres, aut in eodem domicilio commorantes in eadem causa utriusque partis procuracionem agunt; unde fit ut quandoque arcana partium detegantur, alteraque harum circumveniatur & decipiatur, Prohibemus dictis procuratoribus ut supra conjunctis aut in eadem

in eadem domo commorantibus, ne in eadem causa utriusque partis procuracionem admittant.

XXI. Illud quoque Procuratoribus æque ac Advocatis incumbit, ut omni modo allaborent, ut Clienti suo iustitia admittatur; uniceque studeant causam sincere proficere; nihil scilicet ad protractionem causæ in suum proprium lucrum, & litigantium detrimentum faciendo.

Hac de causa Procuratores in Curiis Ecclesiasticis Provinciae Mechliniensis inter alia jurant: "Nec petam aliquas dilationes in causis meis, in gravamen alicujus partium, sed terminos meos legaliter servabo..... Nihilque proponam per me, vel alium pro causa protraheunda, vel ad vexandum indebitum adversarium."

Contra superfluas & extravagantes dilationes sub variis prætextibus peti solitas extat *art. 329. Ordinationum Curie Brabantiae.*

XXII. In his Ordinationibus uti & Ordinationibus Concilii Flandriae de anno 1624. & 1667. quæ habentur parte 3. Editorum Flandriae *lib. 1. Rubr. 8.* nec non in statutis Curiarum Ecclesiasticarum multa occurrunt, quæ officium Procuratorum spectant, quæque plures hodiernos abusus refecarent, si exactè observarentur: illudque notandum, quod in formula juramenti præstandi à Procuratoribus in Curiis Ecclesiasticis exprimitur: "Itè in responsionibus per credit vel non faciendis, non informabo partes, sed ipsas omnino inducam, ut fateantur veritatem." Ad quem articulum juramenti nescio, an sat hodie attendant Procuratores.

XXIII. Licet hodie in plurimis Curiis certus determinatus sit numerus Procuratorum, nec officio Procuratorum fungi quis possit, nisi prævio examine super idoneitate, & præstito juramento in numerum Procuratorum sit admittus, uti supra notavimus, nullus tamen illorum potest causam aliquam suscipere, aut proficere, nisi mandatum sive procuratorium habuerit: ipsaque auctoritas Procuratoris etiamnum hodie ex mandato seu procuratorio dependet: uti monet Simon è Groenevegen ad *Instit. De Satisfactionibus §. 3.*

XXIV. Quam eodem tunc non admittitur hodie Procurator absque mandato, etiam si caveat de rato, nisi tamen pars litigans ipsi Procuratori esset sanguine juncta; quo casu ex Ordinationibus Curie Brabantiae *art. 325.* poterit sub cautione de rato, ex permissione Curie admitti. Verba articuli sunt: *Dat de Procureurs hun niet en sullen voorderen sonder besonderlyke procuratie eenighe partijen te dienen ten vware dat de partje hen bestonde van bloede, in welken ghevalle symdis stellende caute de rato, sullen ter ordinantie van onsen voorsz. Raede moghen voordem gheadmitteert.* Id est: Ut Procuratores seu in obsequium partium non interponant, absque legitima rei gerendæ sibi facta potestate, nisi pars iis sanguine foret juncta, quo casu si caverint de rato, poterunt ex decreto præfati nostri Consilii admitti.

Quod ergo dicit Simon van Leuven in Censura Forensi parte 2. lib. 1. cap. 5. num. 4. quod ex stylo Procurator, qui debet instructus est, mandatum aut nondum accepit, aut quod accepit, in aliquo deficiens est, sub cautione de rato, & termino quo defectum suppleat, aut sufficiens mandatum cum ratihabitione omnium quæ hæcenus ab eo gesta fuerint, interim admittitur, id consonum non est citato articulo Ordinationum Curie Brabantiae; nec hodie in illa Curia admittetur; quamvis in aliis nonnullis Curiis id admittatur; ut ex ibidem citatis Pragmaticis notat van Leuven; & in Ordinationibus Curie Reftoris & Conservatoris hujus Universitatis *art. 13.* non obscure admittitur. Verba articuli sunt: "Ut Procurator sive Actoris, sive Rei, primo die suæ comparitionis exhibeat suum mandatum: & si mandatum minus sufficiens videatur, jubeatur aliud exhibere intra certum tempus, interea tamen ulterius procedatur, præstita cautione de rato, per eundem Procuratorem præstanda, nec aliter admittatur." Idem habet *art. 8. tit. 11. Ordinatio Curiarum Ecclesiasticarum.*

XXV. De hac admiffione Procuratoris sub cautione de rato vide latè Nicolaum Tuldenum ad Damhouderum in

notis cap. 90. lit. C ubi notat ex Socino alisque, huic cautioni ita demum locum esse, quando aliquoties de mandato constat, sed non plene; neque eam admitti, quando res quæ agitur est valde ardua.

Ubi sine sufficenti mandato sub cautione de rato admittus est Procurator, si mandatum intra terminum non exhibeat, in ipsum Procuratorem sententia fertur, & ad interelle & damnum condemnatur; imò & in aliquibus partibus, arbitrarij correctioni obnoxius redditur; uti aliis citatis monet van Leuven loco citato.

XXVI. Quamvis de jure communi Procuratorum solo consensu expediri queat, & etiam per testes aut Nuntium probari queat, in nonnullis tamen Curiis hodie receptum est, non nisi per Scripturam admitti probationem procuratorii, uti servari in Parlamento Mechliniensis testatur Christinus *Vol. 2. Decis. 107. num. 20.* uti nec in ejusdem Civitatis Mechliniensis Consilio Duodecim virali ex statuto ejusdem *tit. 1. art. 25.* cuius hæc sunt verba: "In causa civili licitum est per Procuratorem actiones instituere & excipere, modo Procurator plenè doceat de mandato per sigillum authenticum, vel per chirographum Secretarii Principis." Vide Christinum ad hunc articulum; ubi latè agit de forma ad probandum procuratorium hodie necessariam: de qua etiam agit Damhouderus in *Praxi rerum Civil. cap. 90.* ubi monet *num. 4.* quod "Procuratoria sub Principis sigillo alicujus data non egent attestacione Senatorum, sed sint per se sufficientia." Addens: "Item quando constituentes sunt Prælati, Episcopi, aut prælati Nobiles, aut in ea dignitate officio constituti, ut sua sigilla omnibus sint cognita, rata, & approbata, eorum quoque procuratoria data, & sigillata habentur rata & valida, sine ulla cognitione Magistratum."

XXVII. Supra observatum fuit, quod hodierni Procuratores per huius contestationem non fiant *domini litis*, uti fiebant Jure Romano; sed habeantur pro ministris nudum ministerium sive servitium in prosecutione litium suis Clientibus præstantibus; atque hinc ulterius moribus receptum est, quod & post litem contestatam procurator revocari queat: Et si altera partium moriatur ante causæ conclusionem, tunc procurator inchoatam causam finire non possit, sed implorato iudicis officio citato ad reassumendam in eo statu, in quo relicta est, contra hæredes decernatur: A Groenevegen ad *L. 22. Cod. De Procurat.* Et ita servari in Curia Mechliniensis testatur Christinus citatè *Decis. 107. num. 22.*

Dicitur quidem in *Clem. fin. De Procurat.* "Procuratorum tamen à Prælato, Rectore, vel alio quolibet pro Ecclesia sua vel Beneficio constitutum per mortem constitutis revocari; etiam quoad negotia & causas, in quibus per ipsum, si fuerit ante mortem hujusmodi contestata." Sed id speciale est in Rectore Ecclesie; uti rectè notavit Zypaus in *Notis. Juris Belg. De Procuratoribus*, quia Reftoris Ecclesie tamquam meri usufructuarii jus omne per mortem perimitur; adeoque nihil tum superest, quod ejus mandatum porrigatur.

XXVIII. Jure Romano Procuratoris officium erat gratuitum, nisi aliquod salarium esset promissum: at hodie tam in Ecclesiasticis, quam Civilibus Curiis sua salaria Procuratores à Clientibus petere possunt, licet de his nihil dictum fuerit.

Notius est quàm ut probari debeat, multiplices inutiles terminos, altercationes, dilationes, aliaque similia à Procuratoribus procurari, & fieri, ut salaria ipsorum continuo crescant: infinitasque Procuratorum tricas esse, ad protraheundam causam, suaque salaria augenda, notant non tantum qui Curiis præsumt, sed & qui in illis lites sustinere coacti aliquando fuere: possuntque colligi ex Ordinationibus Curiarum non tantum Civilium, sed & Ecclesiasticarum, quibus multi Procuratorum abusus castigantur, multaque à Procuratoribus observanda & cavenda præscribuntur: observandamque esset, ut quemadmodum sanctissimè

stituta sunt, ita quoque exactissimè observarentur: abscondantur omnes illi prætextus quibus Procuratores, etiam in Curiis Ecclesiasticis utuntur ad lites & terminos prolongandos & multiplicandos; ipsumque tribunal Ecclesiasticum odio & vilipendio communi exponunt.

Quam periculosum ex hoc capite sit Procuratorum officium; & qui huic maxime sint expositi, intelligi potest ex dictis capite præcedenti num. 35. & seq.

XXIX. Procuratori similis est Defensor sive actor causarum Universitatis Collegii Societatis similibusque corporum, quæ à Principe vel Senatu sunt confirmata. Neque enim omnibus passim permissum est habere corpus Collegii, sive Societatis, quod ad exemplum Republicæ habeat res communes, arcam communem, & Actorem *L. 1. §. ff. Quod cuiusque Universitatis nomine &c.*

XXX. Actor hic vocabulo græco vocatur *Syndicus* à lite sive causa, quam nomine Universitatis proficquitur, agendo vel defendendo *L. 18. §. 13. ff. De Muneribus.* Solet similis procurator ad agendas causas constitutus civitatibus majoribus vocari *Pensionarius*; uti notat Christinus ad citatum articulum 25. consuetudinum Mechliniensium, ubi & de Officio Pensionarii tractat.

XXXI. Observat autem Mornacius ad *L. 1. §. 1. ff. eod.* "Ex usu hodierno Syndicos creati consuevit, ut sint non tantum actores Republicæ quoad lites, sed etiam ad cætera, quælibet Universitatis negotia, vel oppidi aut Parœciæ cui dati sunt."

XXXII. Habet & nostra Universitas Lovaniensis Syndicum, qui inter alia jurat, quod causas Universitatis quas tamquam actrix vel rea suo vel alieno nomine habeat diligenter proficquetur.

Præscribunt tamen Statuta Universitatis, ut "nullum causam Universitatis nomine inchoet, nisi ad hoc habeat specialè mandatum ab Universitate, vel saltem à Rectore & Deputatis. Causam inchoatam non deferat absque consensu Universitatis vel Reftoris & deputatorum; sed omni diligentia proficquetur usque ad finem. Item admoneat D. Rectorem, ut conclusiones Universitatis exequatur."

XXXIII. In Decretalibus Gregorii IX. extat specialis titulus *De Syndico*, sub quo unica tantum refertur Decretalis sub hoc titulo: *Gregorius Papa Subdiacono Defensori Sicilia.* Rectè autem post Contium monuit Antonius Augustinus in notis ad primam collectionem Decretalium, hanc Decretalem esse fragmentum *epistol. 67. lib. 1. S. Gregorii*, cuius inscriptio est, *Petro Subdiacono Defensori Sicilia.*

XXXIV. In hæc epistola imprimis scribit S. Gregorius: "Sicuti studii nostri esse concedet à litigii forensibus submotum vere, ut divinis ministeriis pie ac solerter invigilantia necessè est nostræ provisione, quemadmodum negotia eorum disponi debeant, ordinare ne dissentia mens per varias causarum curas defluat, & ad celebrandum opus consuetum conservata torpescat."

XXXV. Post hæc significat dicto Petro Subdiacono, quod "præsentium litterarum lator Joannes Abbas plurima se Monasterii sui asserat habere negotia."

Deinde subjungit: "Pro qua re experientiam tuam per præsentis scripti paginam admonemus, quatenus cum Faulto, qui Romani viri magnifici ex prætore Cancellarius fuerat, loqui debeat. Cujus si pronam ad hanc rem compereris voluntatem, ei Monasterii ipsius generaliter debeas constituto salario commendare negotia."

XXXVI. Rationem hanc notandam adjungit: "Expedi enim parvo incommodo à strepitu causarum servos Dei quietos existere; et utilitates cellæ per negligentiam non pereant & servorum Dei mentes ad opus Dominicum libertiores existant."

XXXVII. Hinc notant Interpretes post Glossam, S. Gregorium voluisse, ut quidam Faultus constitueretur Syndicus Monasterii cum salario de bonis Monasterii ad omnia negotia Monasterii in iudicio procuranda: eò quod expediat, ut modicum damnum sustineant Monachi, ut ab hujusmodi litigiis conquirent, & Divinis intersint.

XXXVIII. Quam periculosum sit, Monachum sæcularibus negotiis, & præterim forensibus implicari; & quæ in Oeconomio sive Procuratore Monasterii sint observanda, notavi supra parte 1. tit. 31. cap. 5.

XXXIX. Cæterum & illud certum, non tantum Monachis, sed & Clericis parum convenire, eorumque vocationi parum esse conforme, negotiis illis temporalibus & forensibus litigiis implicari, atque per illa ab Ecclesiasticis ministeriis avocari.

Sic olim Episcopos prohibere Concilia, ne ad Comitatum pergerent, electis ad id opus Diaconis: sic eisdem à rerum temporalium administratione submoverunt, quando curam illam Oeconomis & vicedominis demandarunt, uti monet eundem auctor notarium in citatam epistolam S. Gregorii: cum quo quidam dicamus: "Unam & cæteris Clericis simili quopiam remedio provideretur ope Syndicorum & defensorum, ab omnibus terrenis negotiis liberi soli Deo vacarent, omnemque Clerici & Monachi tam essent forensium actionum rudis, quam coguntur esse gnari."

CAPUT IV.

De Graphariis & Secretariis

1. Qui apud Romanos dicti Cancellarii?
2. In horum locum successerunt hodierni Grapharii & Secretarii.
3. Ante Concilium Lateranense sub Innocentio III. nulla reperitur Constitutio de adhibendo Graphario in iudicis Ecclesiasticis.
4. Concilium vult adhiberi personam publicam, quæ Acta judicialia conscribat.
5. Persona illa publica coincidat cum hodierno Graphario, quæ & Notarius aliquando dictus fuit.
6. Ordinatio Curiarum Ecclesiasticarum Provinciae Mechliniensis de scribendis Actis per Grapharium.
7. Grapharius debet Acta registrare & diligenter conservare.
8. Debet in speciali registro registrare omnes sententias.
9. Prædicta Grapharius jurjurando promittit.
10. Grapharius debet copiam Actorum dare Parti petenti, originalibus sibi retentis.
11. Actis judicialibus à Graphario conscriptis & registratis plena fides adhibetur licet nulli testes interveniant.
12. In hoc tamen attendendus stylus & consuetudo Curiarum.
13. In quibus causis Secretariis Episcoporum aut Collegiorum plena fides sit adhibenda.
14. Grapharius debet utrique parti indifferenter servire.
15. Juramentum Graphariorum in Curia Ecclesiastica de hac indifferencia.
16. Graphariorum indifferencia hodie maxime necessaria, & quare?
17. Rectus iudiciorum ordo multum hodie dependet à Graphariis.
18. Graphariorum officium olim erat vile, secus hodie.
19. Quæstio Bonifacio VIII. de nimia exactione salarii Graphariorum.
20. Hodie Graphariorum salaria sunt taxata, & quomodo ex hac taxatione Grapharia capiant occasionem causas protrahebunt.
21. Ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum contra excessus Graphariorum.

Exat in Codice Justiniano titulus *De Adressoribus, Domesticis & Cancellariis* Judicum.

Notant autem communiter Doctores, Cancellarios Judicum fuisse, qui scribendis & expediendis iudicium epistolis actisque operam dabant. Hosque Cancellarios fuisse dictos, quod eorum cellula ob chartarum amittendarum periculum, cancellis essent munitæ.

II. Horum officio funguntur hodie tam in Curiis Ecclesiasticis, quàm Civilibus illi quos Grapharios vel Secretarios vocamus; qui tamquam publicæ & juratæ personæ omnia acta judicialia scribunt, ac fideliter constituunt, sive registrant.

III. Admodum verisimile, hos Grapharios & Secretarios unà cum stylo forensi, & forma litigandi è Curiis Civilibus